

stitia divina formaliter non est misericordia. Sic Bonitas Entis non est ejus Veritas. Suâ enim unaquæque formalitate gaudet.

XXXII. *Distinctio modalis* est quæ separat modum à modo, vel modum à re. Modus variè dicitur, ejus amplitudinem evolvit *Suarez. Diss. VII. Sect. 1. n. 17.* It. *D. Kesler. parte Generali Metaph. Photin. Sect. 2, princ. 1. Scheibl. lib. 1. Metaph. c. 8. lib. V. Art. 2.* Nos hîc per Modum intelligimus actualem determinationem rei indifferentis. Tale indifferentes est Essentia actualis, postulans modum & Terminum quendam, sub quo in naturam rerum se ingerat & vel substantiæ vel Accidentis personam repræsentet. In rerum enim Natura nihil locum habet, quod non in certa aliqua Entis specie reponi possit. Tales v. modi perfectiores sunt duo Subsistentia & Inhærentia: Item Causalitas vel materialis vel effectiva: Nec non Ubicatio, Situatio, unde Sessio, Statio, Cubatio oritur. Malè autem *Carol. de Racon. part. II. Metaph. Tr. c. 3. Sect. 2. §. 3.* Existentiâ pro modo reputat. Et *part. IV. Met. Tr. II. c. 3. Sect. 1.* Inter Essentiam & Existentiâ modalem distinctionem constituit, dum ea non est præexistentis Essentiæ determinatio, nec ut modus ad eam se habet; sed ab Essentia possibili distinguitur negativè, ab actuali verò non nisi ratione. Modi autem genuini & proprii quia ob debilem & diminutam suam perfectionem novas Entitates non constituunt, sed saltem præexistentes Essentias determinant, nec per infinitam quidem potentiam extra rem modificatam conservari possunt, ideo ijs realis distinctio non videtur assignanda, ut quæ inter res & res tantum esse debet.

XXXIII. *Distinctio Rationis* est, quæ imponitur rebus non quatenus existunt, sed quatenus Intellectus operationi substant & ab eo denominationem accipiunt. Sic intellectus rem unam conceptibus diversis eam æqualiter repræsentantibus exprimit, notiones suas ei imponens, modoq; subjectum, modo prædicatum, modo Synonymum vel aliter indigitans. Et id quidem sine fundamento evidenti in re, non tamen sine omni, non enim de nihilo est quod sentit *Vasquez. part. I. Diss. 117. c. 3.* Intellectum etiam tunc occasionem distinguendi reperire, licet non talem, qualem in ijs qui distinguuntur ratione ratiocinata seu ex Natura Rei, attamen non omnis